



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXXIX. Christus Adulteræ peccata condonat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

276 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,
meum super semen tuum, & Benedictionem meam super sim-
pem tuam. Fides autem in Christum, cui tantus afflu-
xus Gratiarum promittitur, debet per Charitatem
operari, & impellere ad vitam, Christi Doctrinam
omnino conformandam, ne sit talis, sicut eorum
qui (ut S. Paulus Tit. 1. v. 16. ait) *confidentur, se nobis*
DEVIM, factis autem negant. Considera etiam, tunc
verè impleri id, quod Christus his verbis promisit:
Flumina de Ventre ejus fluent Aquæ Vive: quando ex re-
dundantia cordis nostri Cœlestis Gratiæ affluentiam
etiam in Proximum derivamus.

M E D I T A T I O CCCXXXIX.

Christus Adultera peccata condonat.

Joan. 8. v. 1.

PUNCTUM I. IESVS autem perrexit in montem Oliveti
& diluculo iterum venit in Templum. Sic quærendum
quietum ac opportunum tempus, & locus ad Oratio-
nem devotè, attentè, & absque distractionibus per-
gendam; si que per diem alijs officijs Charitatis, ne-
gotiisque necessarijs fuit impedita, nocte supplenda
est, ut cubitum non concedas, præscripto Orationis
penso non persoluto. Christus eundem montem Ol-
veti primò Devotionis & Orationis lacrymis, deinde
Sudore Sanguineo perfudit, denique ex eodem *Ara-*
nam Gloriam adivit. Sic orando, & patiendo
Cœlestem Gloriam pervenitur; Oratio enim Patien-
tiam, Patientia Gloriam consequitur.

PUNCT. II. Et diluculo iterum venit ad Templum, &
omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. V. 2. F.

tam matutino adventu Christi, ex situ stabili ac firmo, quo ad docendum utebatur, ex prævisa etiam Auditorum suorum incapacitate, malevolentia, contradicendi temeritate, ingratitudine &c. disce, quantâ in officijs Charitatis erga Proximum diligentia, constantia, tolerantia adversorum versari debeas. Quam matutinus etiam debeas esse in audienda Sapientia Aeterni Patris, tempore matutinæ Meditationis sedentis & docentis, ut dicitur Proverb. 8. v. 17. *Qui manè vigilat ad me, inventat me.*

PUNCT. III. Adducunt autem Scribae & Pharisæi mulierem, in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: *Magister, mulier hæc modo deprehensa est in adulterio. In Lege autem Moyses mandauit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* Hoc autem dicebant, tentantes eum, ut possent accusare eum. v. 3. Si enim contradiceret Moysi, accusaturi eum erant, veluti non solius Sabbati, sed etiam aliarum Legum Mosaicarum violatorem: si consentiret, objecturi erant contradictionem, & inconsequentiam propriæ Doctrinæ de Misericordia. Sie & nobis hujusmodi homines patienter ferendi, sed non imitandi sunt, qui, quidquid dicatur, in finistram partem interpretantur; qui fraudulenter, & insidiosè agunt. Christi potius imitanda Prudentia, non statim pandentis sua de alijs judicia, nec statim condemnantis, nec temerè dantis occasionem, finistre de se cogitandi, & loquendi.

